



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri
Benedicti**

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

L. De Fratibus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in viâ sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

- e) *Per Abbatem tamen ratificandâ, ut mox sequitur.*
- f) *Velut fructu ac dono ejusdem.*
- g) *Seu insinuet; idque vel immediate, vel mediatè, insinuando nimirum de Abbatis licentiâ alteri Superiori aut Confessario, ut colligitur ex causali subjunctâ.*
- h) *Seu benedictione.*
- i) *Et quamvis hæc pariter habere locum videatur insinuando, revera tamen non habet; tum quia & opera ista supererogatoria & eorum notificatio hoc tempore omnibus sunt præscripta; tum etiam propter resignationem in voluntatem Superioris vel approbaturi vel reprobaturi.*
- l) *Quantumvis ex se bona; tum propter meritum obedientiæ, tum ad vitandas illusiones diabolicas.*

I. APRIL. I. AUGUST. I. DECEMB.

CAPUT L.

De Fratribus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in viâ sunt.

Fratres, qui omnino longè a sunt in labore, & non possunt occurrere horâ competenti ad Oratorium, & Abbas per-

perpendit, quia ita est; agant ibidem & Opus Dei, ubi operantur, cum tremore Divino c flectentes genua d. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant Horæ constitutæ e; sed, ut possunt f, agant sibi g, & servitutis pensum non negligant reddere.

a) *Distantiâ pendente ex judicio Abbatis, ut patet ex seq.*

b) *Insimul & per choros, juxta Perez ac Boërium id probantem ex Constitutione Benedicti XII. Statutis item ac distinctis horis secundum præscripta in præcedentibus; ut sic melius recolantur mysteria tali horæ correspondentia. An verò cum vel sine cantu; dependet, sicut & cætera, à determinatione Abbatis.*

c) *Seu reverentiali erga Deum.*

d) *Intellige, temporibus in Breviario præscriptis, & nisi prohibeat terra lutosæ &c.*

e) *Id est, non obliviscantur Horas canonicas, temporibus præscriptis persolvere.*

f) *Hoc est, eo modo, quo possunt. Hinc patet, malè à quibusdam colligi ex verbo Similiter, etiam equitantes debere descendere ex equis & genuflectere &c.*

g) *Id est, apud se secretò recitent Officium sinè cantu. Ex Bern. Cassinensi. Menardus verò & alii legunt, ibi, id est, in ipso itinere, horis præscriptis.*

2. APRIL. 2. AUG. 2. DECEMB.

CAPUT LI.

De Fratribus, qui non longè proficiscuntur.

Fratres, qui pro quovis responso a proficiscuntur, & eâ die sperant reverti ad Monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi omnino à quovis regentur: nisi fortè ab Abbate suo eis præcipiatur *b.* Quòd si aliter fecerint, excommunicentur *c.*

a) *Id est, negotio. Quo sensu etiam Greg. M. hanc vocem bis usurpat in Vita S. BENEDICTI cap. 12. quod híc utiliter leges.*

b) *Id est, permittatur. Ubi pensatis circumstantiis, ut difficultate itineris, invitantis dignitate &c. etiam epikia locum habet. Quin etiam modò in pluribus Monasteriis*